



80

994<sup>9</sup>

Qu



1139.  
40

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
*De*  
**DELIRIO**  
**IN GENERE,**

*Quam*  
Consensu & Auctoritate

Inclytæ Facultatis Medicæ Salanæ,

SUB PRÆSIDIO

**DN. RUDOLFI VVILHELMI**  
**KRAUSII,**

Phil. & Med. Doct. Chimiæ & Praxeos Prof. Publ. suæque Fa-  
cultatis Senioris gravissimi, Colleg. nat. Curios.

Assessoris spectatissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris ac Promotoris*  
*sui perpetuo cultu venerandi,*

**PRO LICENTIA**

Summos in arte Medicâ honores, insignia atque Privilegia Docto-  
ralia More MAJORUM legitimè adipiscendi,  
*publicæ disquisitioni subjicit*

**JOHANNES CHILIANUS CUMMIUS,**

Hannoveranus,

IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad diem Julii An. M DC LXXXVI.*  
Horis ante & pomeridianis,

---

**JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.**



1190.

Reverendissimo atque Excellentissimo  
DOMINO

**DN. GERHARDO,**  
Liberi Imperialis Cœnobii Luccensis  
ABBATI eminentissimo  
Ecclesiarum Evangelicarum  
per Ducatus, Calenbergicum, Grubenhagensem ac  
Göttingensem DIRECTORI,  
ut & Senatus Ecclesiastici  
**CONSILIARIO,**  
supremo,

*Domino suo ac Patrone æternum devenerando,*  
**DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM**  
humillimè  
*Dicat, Dedicat ac sacram esse vult*

**JOH. CHILIANUS CUMMIUS.**





Σὺν Θεῷ καὶ παλάμη!

## PROOEMIUM.

**I**ntra alia cum quibus corpus huma-  
num comparari conl'vevit, non ine-  
ptum illud est, quando cum horologiis  
comparatur. Apparent in his innu-  
meræ partes, ac rotæ; motus harum  
observatur diversissimus: aliæ enim serius, aliæ ocius,  
aliæ plane non moventur, & tamen omnes ad unum  
finem tendunt, eumque assequuntur, quamdiu sta-  
tus omnium partium est integer: quando vero  
vel minima rotula deperditur, machinam videmus  
statim in motu suo vel depravari, vel planè sisti. Idem  
occurrit in homine; videmus & hīc innumeræ va-  
riarum formarum ac materiarum partes, observa-  
mus & hīc alias quietas, alias parūm, alias magis  
mobiles, ita ut impossibile dicas, has inter se conspi-  
rare, vel aliquo modo convenire, & nihilominus  
cernimus effectum exinde perfectissimum, sanita-  
tem nempe. Ethoc procedit, quamdiu omnia be-

A 2

ne se

ne se habent ; quamprimum vero partis alicujus fit lassio , presso pede sequuntur noxae plurimae , eoq; graviores , quo pars affecta est nobilior , ejusq; strutura subtilior , ubi praet aliis maximè in considerationem venit cerebrum , pars corporis inter nobilissimas non ultima . Hæc enim si bene constituta est ac vegeta , efficit , ut habitare possit mens sana in corpore sano ; è contra , quamprimum hinc aliqua fit afflictio , sive ab externâ , sive internâ injuriâ , è vestigio mens ægrotare incipit , ac producuntur variorum generum deliria . De quibus generaliter in sequentibus agere , idq; secundum hypothesin Democriti deducere , cum Deo constitutum est . Statim autem

## §. 1.



Missis aliis ambagibus apponemus DEFINITIONEM realem DELIRII IN GENERE , nempe quod sit Depravatio phantasie à spiritibus modò depresso , modò exaltatis dependens .

## §. 2.

Per depravationem phantasie intelligimus , quando imagines & objecta non uti debebant offeruntur , nec ut par est dignoscuntur . Hoc patet ex miris illis conceptibus & imaginationibus , quæ ab ægris finguntur , quæ tamen nunquam illis revera acciderunt , nec accident , unde apparelt , esse dementia plenos , rectis autem actionibus vacuos , in omnibus consiliis pueriliter ac stulte se gerentes , uti loquitur Democritus apud Hippocr.

## §. 3.

5.

## §. 3.

*Subiectum* hujus mali primarium & principaliter affectum est cerebrum, tam quoad meninges & partem corticosam, quam etiam medullarem, diverso licet tempore & effectu. Est hic sedes spirituum animalium, qui in loco suo turbati, tenues, puri ac lucidi, ordinateq; mobiles ad quemunia animæ perficienda habiles esse desinunt, quo facto delirium efficiunt.

## §. 4.

Afficitur autem cerebrum vel *per se*, quando nempe immediatè malum cerebro inhæret, & hoc longe pejus est; vel per accidens & συμπαθειαν, quando alibi minera latet, ex quâ tale quid cerebro spiritibusq; inimicum exhalat; ut sunt diaphragma, hypochondria, uterus ac partes genitalies, de quibus mox agemus pluribus.

## §. 5.

Cor insimul in delirantibus laborare, non incredibile est; hanc in rem annotavit *Forestus* lib. x. obs. 20. exempla maniacorū, qui frigus intensissimum sine illius persentitione sufferre potuerunt; quo probat cor necessariò hīc consentire, alias impossibile fore tantum calorem per universum corpus perfundi, ac contra frigus defendi posse. Porro cum cor sit sedes affectuum, ut iræ, temeritatis, audaciæ, &c. quæ maximè in maniacis visuntur, procul omni dubio cor simul laborare.

## §. 6.

Causam omnium deliriorum ex hypothesi Democriti in Epist. Hippocratis ad Damagetum allegatâ statuimus BILEM, & quicquid illi est analogum. Verba Democriti, quibus Hippocratem alloquitur hæc sunt: *Animalia hec, que vides, hujus gratiâ reseco, non quod odio habeam opera Dei,*

A 3.

sd.

## 6.

*sed bilis naturam ac sedem querens. Nostri enim quod hac fuisse hominum causa est, ubi nimium redundarit.*

## §. 7.

Et huic assentit ipse Hippocrates, quando circa finem libri 1. de morbis dicit; *Cum bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consuetâ compage & monone dimovet, & serosum facit & calefacit. Calefactus autem etiam reliquum totum corpus percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat præfebris copiâ, & sanguinis ad ferocitatem transmutatione & motione non solitâ contingente.*

## §. 8.

Idem præstare etiam bilem in statu naturali certum est, calore nimirum perfundere totum corpus; illo tamen blando & proportionato, non excessivo, idq; facit ob sulphur suum ac partes oleosas balsamicas volatiles, quas in sanguine dispensat. Reliquos ejus usus jam non attingemus,

## §. 9.

Distinguitur autem bilis ( præterea quod sit utilis & inutilis ) ab ipso Hippocrate in flavam & atram. Flava magis pollet particulis alcalino & eo-salinis cum copioso sero dilutis, & hæc respectu alterius magis benigna audit; hinc deliria ex illa provenientia sunt mitiora & per consequens tutiora. Atra verò bilis, quando minori seri diuentis quantitate salia acria, acerba, austera, pontica sulphur abundantius biliosum explicant & corrumpunt, graviora producit deliria, eoq; magis, quo magis hæcce adiuritur.

## §. 10.

Ex quibus patet, peccare bilem dupli modo, vel alcalinam, nimisq; volatilem, vel cum acido remixtam & nimis

7.

nimis fixam. Quæcum inter se sint contraria, contrarios etiam edunt effectus. Exempli loco adducemus maniam & melancholiā; in hāc utpote ubi in culpa est bilis cum acido ac austero mixta, spiritus sunt depresso & fraxati, ægri sunt cogitabundi, timentes & hominum consortia fugientes. In illā verò, ubi atra bilis est adusta, spiritus quasi sunt igniti & accensi, ægri rident, facile irascuntur, temerarii sunt ac insidiosi, & se suosq; familiares facile lèdunt. Exaltantur enim & sublimantur hic æqualiter particulae oleosæ, depressis temperantibus serosis.

§. 11.

Quæcunq; itaq; bilem possunt irritare, corrumpere vel augere, deliria possunt producere. Huc pertinent etiam reliqui humores corrupti, ut sanguis, pituita, serum ac semen, tam masculinum quam fœmininum, qui in motu suo impediti, extravasati ac stagnantes a credinē bili non absimilem concipiunt. Hinc in phrenitide sanguis acrior redditus vasa sua in durâ & piâ matre ( quibus etiam prælubit tercia membrana à Bidloo observata & media vocata addi potest ) ut & parte corticosâ cerebri corrodit ac extravasatus inflammationem inducit. Non abnegat hoc Petrus Salius Divers. qui de affect. partic. cap. 6. &c. dicit; *Delirium oriri potest ex sanguine tenuiore & calidiore, qui naturam bilis attigit.* Talis evadere solet in scorbuto, in primis calido, cuius sub hoc titulo Timæus à Guldencleve mentionem facit, vocatq; delirium exinde productum scorbuticum. Idem & nobis nuper in Patriâ oblatum est, ubi ab esu induratarum & crudarum halecum octavo die post oriebatur delirium, scorbuticâ suâ naturâ eò magis eminens, dum insimul floridus quasi ex gingivis profluet sanguis.

§. 12.

## §.

De pituita & semine deliria producentibus etiam certi sumus, & primò quod pituitam attinet, habemus prae-euntem Hippocratem, qui in scripto de insania nobis hæc reliquit: *Fit corruptio cerebri à pituitâ & bile. Qui à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur neq; tumultuantur. &c.* De semine testatur furor uterinus, quando nimis illud semen peccat quantitate, siveque continuo stimulat vasa spermatica, unde inordinatus & nimius spirituum affluxus, qui deinde ita turbati & inquinati cumque cerebro communicati sanam mentem disturbant ac delirium efficiunt. Eadem ratio est melancholiæ hypochondriacæ, quæ dum corripit talia subjecta quæ seminis abundantia pollent, amorem insanum producit.

## §. 13.

Communissimè enim amore hoc laborantes simul sunt hypochondriaci; affectus quippe hypochondriacus focus ac lerna est plurimorum malorum. Quamprimum enim hic à ~~¶~~ eis austoris ac ponticis particulis fit obstructio, universæ massæ sanguinæ depurationi injicitur impedimentum, hinc sanguis manet cænosus, spiritus non generantur, generati fiunt torpidi, imo interdum ita fixati, ut ægri se ipsos interimere cogantur. Variat tamen hoc pro hominum ægrotantium varietate.

## §. 14.

Sanguinis etiam profusionem & extravasationem hincque spirituum confusionem efficere ac promovere possunt injuriæ externæ, uti est casus ab alto. Ubi cum subitanea sit spiritum confusio atque pororum dislocatio, delirium oritur. Exemplum tale ante tres ferè annos hic Jenæ observare licuit, ubi adolescens à prægrandi

## 9.

grandi saxi frusto ex alto devoluto ita feriebatur in occipio , ut in momento instar mortui decideret , & paulò post delirans à suis deportaretur , qui tamen ab Exc. WEDELIO, Domino Præceptore ac hospite meo nunquam satis venerando , felicissimè sanitati restitutus est.

## §. 15.

Corrumpere porrò humores ac spiritus in corpore bilemque irritare possunt vapores peregrini nocivi. Hinc delirium visitur ab assumtis venenis vaporosis , it. in morbo Hungarico , peste &c. quorsum etiam spectat delirium spontaneum , ebrietas. Quâ occasione etiam hîc se se offert vinum illud fulmine tactum & congelatum , cuius mentionem facit Seneca in quest. natural. quod bibentes insanos efficiat. Quod si quid facit , facit ob vaporosum & peregrinum vino huic contactu fulminis communicatum,

## §. 16.

Pertinent hûc quoque philtra , quæ bibentes sanos non relinquunt , nisi per accidens. Hinc poëta  
*Philtra nocent animis , vimq; furoris habent.*

Item Rabies canina & tarantismus , quid sunt aliud , quam inductæ Massæ sanguineæ peregrinæ fermentationes? quæ dum fiunt per sal animalis summè volatile , in primis tarantulæ morsus , necessariò alteratur & exaltatur in sanguine bilis , quæ pro variâ dispositione varia symptomata producit.

## §. 17.

Perlustratis brevibus hisce , opus erit , ut ad DIFFERENTIAS deliriorum nos convertamus. Distinguitur au-

B

tem

tem ordinariè delitium, quod sit vel leve vel grave. Huc spe-  
ciare aliquo modo videtur Hippocrates, tres quasi gradus  
admittens, quando ad Democritum dicit: Non absurdum te  
esse putas, dum vides hominis mortem, aut morbum, aut  
mentis emotionem, aut insaniam, aut atram bilem &c.  
sicq; per gradus ascendit, dum per insaniam aliquid magis,  
quam mentis emotionem, & per atram bilem plus, quam  
insaniam intelligere videtur.

## §. 18.

Leve delirium, quod laudatus Hippocrates exprimit  
38 epid. agrot. 1. per τὸ λῆγον, it. 1. Epid. agrot. 14. vocat  
συίνη παρέκχεστη, parum deliravit, vi. aphorismor. 53.  
appellat delirium cum risu obortum. Hic ægri vix deli-  
care videntur, adulantur, objectaque blandè tractant ac  
derbulcent. Germani vocant das Haselieren. Alias me-  
chanicè leve delirium potest explicari per iram, sæpè ta-  
men numero satis deliram, unde etiam appellatur furor  
brevis. Eodem cum deliriis reliquis gaudet origine, bi-  
le nimirum, hinc sumta causa pro effectu per bilem  
designatur, uti habet illud Plauti in Ampbit. Fames  
& mora bilem in nates conciunt. Item illud, etiam for-  
micis est suabilis. Referri quoque huc possunt suo modo  
somnia, quæ nihil aliud sunt, quam deliria dormientium,  
uti è contra deliria sunt somnia vigilantium.

## §. 19.

Grave delirium verò à jam dicto levè distinctum est,  
non solum causâ, (quam quidem unicum statuimus bilem,  
modificatam licet varie) sed etiam effectu; illud enim  
à flavâ, hoc ab atrâ bile suboritur, illud timidos, hoc verò  
audaces ac temerarios efficit. Omnis autem variorum  
horum effectuum ratio consistit, ut antea jam dictum à no-  
bis,

## II.

bis in varia subjectorum dispositione , estque modus  
agendi deliriorum ut Itali dicunt , quale ti trovo , tale  
*tipiglio* , non aliter ac vinum solet , cuius effectus non est  
uniusmodi , sed variat pro hominum ac ingeniorum tem-  
peratura; non enim semper hilares latesq; reddit , sed saepissi-  
mè fit , ut illi , qui liberalius mero indulserunt fiant vel so-  
mnolenti vel contentiosi , imò quam saepè queruli & melan-  
cholici , ex nulla aliâ ratione quam ex humorum , morum  
ac ingeniorum discrepantia .

## §. 20.

Interdum etiam deliria apparent binis faciebus , una  
miti , altera feroci ; quod fit , quando vel mania oblit in  
melancholiam , vel vice versa melancholia in maniam .  
Talis transitus erat in Saule Israëlitarum Rege , de quo le-  
gimus in sacro codice , quod persæpe à malo spiritu fuerit  
vexatus ac delirans redditus , ita ut Regni sui successorem  
ac generum Davidem propria manu interimere non unâ  
vice conatus fuerit . Licet autem hoc delirium ad maniam  
posset referri , negari tamen hic non potest *ad hoc* . De  
quibus fusius videri potest *Exc. WEDELIUS in exercitat.*

*XIX. Decad. II.*

## §. 21.

SIGNA deliriorum vel imminentium vel actu jām præ-  
sentium , sunt evidentia ac facilia , satis enim eluent ex  
morum , sermonum actionumque mutatione , ut si quis  
alias taciturnus , mitis , pudicus & quietus fuerit , fiat lo-  
quax , furiosus , impudicus & inquietus ; Inprimis autem  
*Sennertus* eo tempore oculos considerare jubet , utpote  
qui cerebro vicini facilè ejus injuriam sentiunt .

B 2

§. 22.

## §. 22.

Prognosis ex eo desumitur fundamento : Quo  
læsio cerebri est gravior & profundiōr , eō etiam gravius  
& periculosius est delirium. Hinc non æquè periculō-  
sum est illud quod à sanguine, quam quod à bile , nec il-  
lad tantoperè metuendum, quod per *συμπάθειαν* fit, ma-  
gisque est transiens, quam illud , quod oboritur cere-  
bro primario affecto , quodque est continuum ; quæ  
omnia jam aliunde nota esse possunt.

## §. 23.

supereſt itaque ut de CURATIONE delirii quæ-  
dam adjungamus ; quæ non unimoda esse potest , quo-  
niam nec deliria sunt unius generis. Hoc saltim dici-  
mus in genere , semper ad causam efficientem esse re-  
ſpiciendum , quæ ex præmissis est bilis , vel materia  
acris & quasi talis. Hinc ex TRIPLOCI FONTE quid  
eligi posset videbimus.

## §. 24.

Ex CHIRURGICO nempe obvenit illud heroi-  
cum licet , Divinum tamen ſæpè remedium , VENÆ SE-  
CTIO. Quæ in deliriis ubi plethora adest , ac sanguis  
spiritusque peccant in motu, potest adhiberi, ita ut spi-  
ritibus depreffis minus , exaltatis verò magis fiat missio.  
idque ſi unâ vice non ſufficiet repeti potest. Hinc ob-  
ſervatum ſæpè naturam ipsam hoc indicaffe remedi-  
um, dum onerosum vel per hæmorragias , varices , hæ-  
morrhoides & ~~les~~ expellere ſtuduit ; unde etiam teste

Hip-

## 13.

Hippocrate 6. Aphor. 21 infania solvitur si insanientibus ( & melancholicis ) varices superveniant aut hæmorrhoides. Prosunt etiam eo fine cucurbitulæ sacrificatæ , ipsique bregmati impositæ , vesicatoria , hirudines , pone aures vel hæmorrhoidibus venis applicandæ . Item apud Italos & aliâs decantata trepanatio.

## §. 25.

Ex FONTE PHARMACEUTICO medelam potentibus, etiam probè observandum est an & quomodo bilis peccet. Quibus cognitis diverso respectu proderunt hanc attemperantia , obtundentia, evacuantia , in motum cito tantia, diluentia. Porrò videndum an cerebrum per se, an per consensum patiatur ; si per se, magis danda cephalica , nervina , cinnabarina spiritus serenantia, discutientia, figentia. Si per consensum , ut cum hypochondriis, diaphragmate , partibus genitalibus , hīc prospiciendum erit magis aperientibus antihypochondriacis, hepaticis , uterinis, antaphrodisiacis , quo etiam referri potest castratio ipsa, in nostris tamen regionibus minus usitata.

## §. 26.

Somnus , utpote genuinum solatium delirantium ut inducatur, quovis modo studendum , quo loco inseruire possunt opiata , humectantia , pediluvia , ac frontalia epithemata. Meminisse etiam hīc non incongruum erit curæ Helmontianæ rabidorum , quando ægri aquæ submerguntur, & sic idearum antea conceptarū obliviscuntur. Materia vaporosa , si peccet in ventriculo , & primis viis,

B 3

ut

ut in morbo Hungarico, venenis assumtis, ebrietate &c. vomitoria præscribenda. Si Febris adfuerit bezoardica cum opiatis ex usu sunt. Quæ omnia ut suas habent indicationes, ita prudenti egent judicatore, à quo etiam ex materiâ medicâ speciatim colligi poterunt. Quoniam enim in superioribus solum de delirio in genere egimus, etiam curationem generalem solum apponendam digitoque velut monstrandam censuimus.

Nobil. Dn. Doctorando

S. P. D.

## GEORG. WOLFG. WEDELIUS.

 *Uod Lyricorum princeps  
scribit: aut virtus nomen  
inane est, aut decus & pre-  
mium recte petit experiens Vir, id  
optimo jure ad Tuum propositum in  
capessendis honoribus jam applicare  
posse videor. Vixisti nobiscum iis  
moribus, qui gratiam singulorum si-  
bi conciliant, eo studio, quod in opti-  
mis probatur. Paterna cordi habui-  
sti*

15.

*Si monita, secutus Doctores artis genuinos, felici ingenio facile hausisti, quæ graviori minus superantur. Messis Tuajam inflore est, in uberes cœsura fructus, & Patriæ honorificos, & pluribus salutares. Perge sic inclarescere indefesso animo, & in medicam quoque, quam strenuè coluisti, artem fœnōre amplio refundere, quæ avido hausisti pectore. Deus conatibus & honoribus istis clementer annuat, Teque servet ! Dab. è Museo in Athenæo Salano, M. DC. LXXXVI. D. xxvii. Jul.*

---

**L**AUREA VIRTUTIS DIGNO *Tibi*  
parta labore  
IMMARCESCIBILI FLOREAT USQ;  
COMA !

*id quod animitus vovet*

**PRÆSES.**

*Mu-*

**P**ensa brevesq; colos Parcarum mitibus herbis  
Exorare, potest esse satis Medico:  
Noster at arcanos pandendo rite recessus  
Humanæ mentis, pandit & ipse suos.

*Ita Nobilissimo ac Clarissimo Domino Doctorando  
benevoli animi affectum probaturi accinunt  
eiusdem*

### Commenſales.

**M**usis & Phœbo placuit virtutis amore  
Plurima quod ferres incommoda fronte  
Ierena:  
Hinc quoque Te ducunt ad summum culmen ho-  
noris,

Eventuque Tuos ausus meliore beabunt.

*Amicâ manu Nobilissimo Dn. Doctorando  
apponere voluit, debuit*


**Conrad. Bernhard. Eggers,**  
Hannoveranus.

**C**onsulat hunc fontem cuiusq; est sinciput ægrum,  
Ejus enim venæ tollent medicamine sano  
Insanos motus. Accedat grandius augmen,  
Atq; riget placidis undis arentia rura.


*Clarissimo Dn. CUMMIO, Medicina Doctorando  
dignissimo, Civi & Amico optimo prosperrima  
queq; apprēcatus f.*

**Phil. Ludov. Böhmer,**  
Hannoveranus.












Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-362828-p0023-7

DFG



1535 66

ULB Halle  
005 308 526

3



DA



**Farbkarte #13**



1139.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
*De*  
**DELIRIO**  
**IN GENERE,**  
*Quam*  
Consensu & Auctoritate  
Inclytæ Facultatis Medicæ Salanæ,  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. RUDOLFI VVILHELMI**  
**KRAUSII,**  
Phil. & Med. Doct. Chimiæ & Praxeos Prof. Publ. suæque Fa-  
culty Senioris gravissimi, Colleg. nat. Curios.  
Assessoris spectatissimi,  
*Domini Patroni, Præceptoris ac Promotoris*  
*sui perpetuo cultu venerandi,*  
**PRO LICENTIA**  
Summos in arte Medicâ honores, insignia atque Privilegia Docto-  
ralia MORE MAJORUM legitimè adipiscendi,  
*publicæ disquisitioni subjiciet*  
**JOHANNES CHILIANUS CUMMIUS,**  
Hannoveranus,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
*Ad diem Julii An. M DC LXXXVI.*  
Horis ante & pomeridianis,  

---

*JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.*